

DE FEBRIBUS

DISPUTATIO VIII.

De

DE FEBRIBUS

INTERMITTENTIBUS

IN GENERE,

*Cujus Theses,*

CUM DEO,

SUB PRÆSIDIO

DANIELIS SENNERTI, D.

Facultatis Medicæ Professoris ac Senioris,  
& Sereniss. Electoris Saxon. Medici,

*Publicè defendendas suscipiet*


CHRISTOPHORUS MEISNERUS,

Thorunensis Borussus,

*Ad diem 3. Maji.*

In Auditorio Medicorum,

Horis matutinis.



WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH,

ANNO M DC XXVIII.

spec.

50

*Novo spec. 313*

DE FLEBIBUS

DE FLEBIBUS

DE FLEBIBUS

D

DE FLEBIBUS

Faint, illegible text in a historical script, likely Latin or German, covering the majority of the page.

*De Febris intermittibus  
in genere.*

THESIS I.

**P**ost continuas febres intermittentes jam explicandæ sunt. Etsi verò antiqui Intermittentis febris nomen latiùs extendebant, & id omnibus febris, quæ aliquam caloris mutationem habent, & nunc exasperantur, nunc remittunt, & ita etiam continuis periodicis tribuebant: Usus tamen postea obtinuit, ut eæ solùm febres intermittentes dicerentur, quæ aliquando desinunt, & ad ἀπυρεξίαν perveniunt.

*Febres inter-  
mittentes.*

II. Intermittentium verò februm causa proxima est vapor putridus, ex humorum excrementitiorum putredine elevatus, non continuò, ut in continuis, sed per intervalla quædam ad cor missus, idq; p. naturam calefaciens.

*Earum causa  
proxima.*

III. Quæ autem fiat, quod vapor putridus non continuò, sed statis temporibus ad cor mittatur, sanè obscurum est. Ad ejus rei verò explicationem cum non parum faciat notitia loci, in quo putredo primùm accenditur, atque unde vapores putridi cordi communicantur, quem Galenus focum seu fomitem appellat, 2. de diff. febr. c. ult. & 15. meth. med. c. 4; is primùm explicandus est.

IV. Cum autem præter instituti nostri rationem sit, varias ac dissentientes hac de re Medicorum opiniones recensere, breviter sententiam, quam veriore putamus, recensere. Focus autem seu fomes & locus, in quo materia februm intermittentium causa generatur, sunt venæ mesaraicæ, in quibus materia, quæ singulis paroxysmis excitandis sufficit, tempore intervalli generatur.

*Focus februm  
intermittentium.*

V. Idq; multa, quæ circa intermittentes febres accidunt,

testan-

restantur, Nausea scilicet, vomitus, cardialgia, præcordiorum  
tensio & dolor, circa ventriculum intumescencia, oris ama-  
ritudo, singultus & alia. In intermittentium enim febrium  
initiis bilis sincera sæpe maximâ copiâ rejicitur, quæ è venis  
remotioribus hoc modo evâcuari non potuit, & circa jecoris  
cava libræ pondo post mortem repertam fuisse testatur Ferne-  
lius. Bile hæc rejecta sæpe febris cessat; quod indicio est, eam  
febris causam & inprimis viis collectam fuisse. Quod & fo-  
menta initio paroxysmi hypochondriis imposita, horrorem &  
rigorem mitigantia, probant.

V I. Materia autem hæc in venis mesaraicis sæpe diu, ante-  
quam febrem producat, cumulat; Ubi verò putrescere, ef-  
fervescere & moveri incipit, calore in totum corpus diffuso  
febrem excitat: Quæ ubi discussa est, calor febrilis & paroxy-  
smus cessat, & febris definit tamdiu, donec nova materia, quæ  
similiter suo tempore putrescat, genita sit.

*Causa febriū  
intermitten-  
tium etiam in  
Vena cava con-  
tinetur.*

V II. Etsi verò materia febrium intermittentium causa in  
venis mesaraicis & primis viis generatur: tamen in iis non  
tota subsistit & conclusa manet, sed venæ cavæ & arteriis  
communicatur cum in paroxysmo tum extra paroxy-  
smum.

V III. Neque hic occultos & cæcos ductus, per quos va-  
pores putridi in paroxysmo cordi communicentur, quærere  
necessarium est, cum ductus satis manifesti dentur. Nam venæ  
portæ rami in substantiam epatis inseruntur, & horum oscula  
cum vena cava communionem habent; & arteriæ à corde pro-  
gressæ in ventriculo, intestinis, liene & alibi venis mesaraicis  
conjunguntur.

V IX. Non tamen primitum & solum in paroxysmo mate-  
riam febrilem venis communicari, sed etiam partem ejus ali-  
quam continuo illo, qui est à mesaraicis ad epar, commeatu, ad  
eas derivari, credibile est, unde etiam à Galeno, 1. de cris. cap. 7.  
& aliis Medicis febris passio venosi generis appellatur.

X. Idq; primò patet satis manifestò ex urinis, quæ crudi-  
tatis & coctionis notas evidentes in intermittentibus exhi-  
bent.

bent. Hinc etiam accidit, ut tempore paroxyfmi urinæ fint laudabiles & sanorum fimiles; Cum humor vitiofus tum à natura è venis verfus ambitum corporis protrudatur, & ita fanguis in venis fiat purior, qui tempore intervalli iterum à vitiofo humore è foco febris communicato inquinatur.

XI. Idem patet ex iis, quæ initio paroxyfmi & tempore illo, quod Græci *Ἰσχυασιὰν* nominant, accidunt. Nam tum spontaneæ lassitudines, pandiculationes, pulsum compressio & alia accidunt, quæ materiam jam febrem excitaturam in vasis illis communibus, venis & arteriis, moveri & quasi turgere indicant.

XII. Humor iste vitiofus passim in venis mesaraicis, partim venâ cavâ cumulatus cum suo tempore putrescit, Natura stimulata, atque irritata, sæpè per varias vias, initio quidem per vomitum & alvum, postea verò sudores & urinas sensibilibiter eum evacuat, ut & poros cutis ac insensibilem transpirationem in vapores & halitus resolutum discutit.

XIII. Cum enim humor ille vitiofus sanguini exactè permistus non sit, sed saltem confusus, Natura eum facile à bono sanguine separare potest, & propterea eum singulis paroxyfms excutit: quo discusso, cum amplius vapores putridi cordi non communicentur, Febris etiam cessat, & *ἀπουξία* sequitur.

XIV. Quia autem, quam diu febris durat, in foco *μίασμα* Causa recur- aliquod & inquinamentum seu *σπυροῦδες πύρρα* relin- sus paroxy- quitur, & præterea *ἀδυναμία* & imbecillitas in parte adest, smorum. necessarium est, humorem ad eam affluentem, etsi bonus sit, & ab inquinamento ac relicto illo excremento, quasi fermento, inquinari, & ob partis debilitatem corrumpi, atque ita novam futuri paroxyfmi materiam generari. Durantq; & tam diu redeunt paroxyfmi, donec illud istud *μίασμα* & *πύρρα* *σπυροῦδες* è foco planè excutiat, & debilitas ejus partis tollatur. Vero tamen simile etiam videtur, materiam febris causam, non totam simul in primo paroxyfmo putrescere, sed ejus partem, quæ putredini apta est, in reliquis reliquam, donec tota absumatur.

XV. Ex his patet, ubi materia, causa februm putridarum generetur, quomodo paroxysmum excitet, per quas vias evacuetur, & quomodo materia, novi paroxysmi causa, iterum generetur; atque ita causa paroxysmorum & recursus februm intermittantium explicata est. Quæ autem causa sit, quod statis temporibus hæc febres redeant, aliæ citius, aliæ tardius, alia jam quaestio est, eaq; intricatissima, quam movere, quam solvere facilius est.

*Causa periodorum.*

XVI. Ut verò aliorum opiniones, quæ plurimæ sunt, hic non recenseamus, eam saltem quæ nobis, quantum in hac humanæ mentis caligine in re obscurissimâ, dispicere possumus, probabilior videtur, proponemus. Et primo quidem dari tales periodos februm ipsa experientia docet, quâ constat febres alias tertio, alias quarto die redire, & sæpe non solum horam, sed & momentum invasionis idem exactè observare; etsi paroxysmi vel anticipare vel tardius redire interdum certis de causis possint.

XVII. Causam verò cur statis temporibus paroxysmi redeunt, ex humorum diversitate petendam censemus. Qui enim effectus, ut Valleriola ait, in uno quopiam genere inveniuntur, qui perpetuò rei conveniunt, in quodcunque tandem corpus & tempus inciderint, hi ad propriam substantiam ejus, à quo fiunt, referendi sunt. At per certos quosdam dies recursus facere accessionesq; proritare, & perpetuò humoribus convenit, & recursus hujusmodi paribus semper intervallis (nisi aliunde ordinis periodorum perversio consequatur) fiunt: Itaque ex humorum tali vel tali natura erit, ut recursus ejusmodi fiant.

XVIII. Nimirum periodorum & februm intermittantium causæ sunt humores excrementitii, bilis, melancholia, pituita, & quæ febres tertia die redeunt, ab humore bilioso proveniunt; quæ quarto, à melancholico; quæ singulis, modò non sint tertianæ duplices, à pituitoso.

XIX. Non tamen simpliciter ex humoribus causa periodorum deduci potest, sed quatenus in peculiarem Qualitatem seu

seu ex putredine seu corruptione acquirunt, ob quam certo tempore quasi effervescent, & moveri incipiunt. Cum enim effectus hic definitus & determinatus sit, qui in omnibus individuis eodem modo sese habet, determinatam etiam ac definitam & in omnibus individuis eodem modo sese habentem causam habeat necesse est. Quæ cum nec membrorum dispositio, nec humorum quantitas (videmus enim etsi materiae copia decrescit, ac paroxysmi fiunt breviores, nihilominus eos stato tempore redire) aut humoris qualitas manifesta, crassities, visciditas, tenuitas, vel similis aliqua, quæ variari solet qualitas esse possit, meritò ad peculiarem & propriam qualitatem ac naturam humoris confugiendum: Quæ etiã ubi mutatur, ipsius febris typus mutatur. Dum enim bilis mutatur in melancholiam, febris, quæ tertio antea die recurrebat, jam quarto invadere solet.

XX. Atque hæc Qualitas etiam postea in humore, cessante putredine, & ab ea pendente febre manere potest. Unde, ut Fernelius, *de Febris cap. 10.* testatur, cruciatus colici, articulorum dolores, & similes morbi post diuturnas Tertianas & Quartanas orti, etiam statas periodos observant, ob dispositionem illam, quam ex humorum putredine seu corruptione conceperunt.

XXI. Si quis tamen non ex sola putredine istam occultam proprietatem deducere, sed ad ejus generationem etiam causas cœlestes concurrere statuere velit, cum eo non multum pugnam. Videmus enim præcipuè circa solstitia & æquinoctia febres tales, præcipuè diuturniores, incipere & terminari.

XXII. Etsi verò febres statas periodos observant: tamen observatur in iis etiam quædam differentia. Aliquando enim sequens paroxysmus citius, quàm prior, recurrit, qui typus appellatur *ωεγληπτικός*: aliquando verò sequens paroxysmus tardius, quàm prior redit, & nominatur *υστερητικός* typus. Et quidem nunc per totum morbi decursum talis typus observatur, & sæpè à principio febris usque ac integram solutionem omnes paroxysmi anticipant vel postponunt: nunc verò in aliqui-

*Ordo paroxysmorum.*

aliqui-

aliquibus fit anticipatio, in aliquibus postpositio vel eodem tempore recursus.

*Anticipatio-  
nis & postpo-  
sitionis causa.*

XXIII. Accidere autem anticipationem pleriq; dicunt, cum humores ob aliquod in victu erratum augmentur, aut moventur medicamentis, irâ, motu & similibus causis. Tardius autem redire, dum materia imminuitur, vel crassior redditur. Quod quidem, ubi typus consuetus mutatur, ita fieri posse, ut non negamus: ita cum febris aliquem typum vel *περληπικόν* vel *ύπερηλικόν* semper observat, causa potius ex humoris diversitate petenda videtur.

XXIV. Etsi enim bilis suo modo corrupta tertianæ periodi, melancholia quartanæ causa fit: tamen bilis & melancholia secundum corporum & temperamentorum diversitatem non nihil sæpe variat. Hinc etiam accidit, ut licet illud fermentum putredinale, vel Qualitas occulta bili inducta, fit causa tertiani circuitus, melancholiæ inducta quartani: tamen secundum humoris differentiam fieri potest, ut horis aliquot citius vel tardius illa humorum effervescentia accidat.

*Longitudinis  
paroxysmorū  
causa.*

XXV. Longitudinem verò & brevitatem paroxysmorum quod attinet, pendet ea ex copia vel paucitate materiæ, dispositione humorum ac corporis. Humor enim copiosus longioris paroxysmi causa est, quàm paucus. Ita quoque crassus longiorem periodum parit, quàm tenuis, cum tardius, quàm tenuis discuti possit. Si vires corporis sint robustæ, quæ facilius id, quod molestum est, expellere solent, quàm debiles, brevior fit paroxysmus. Corporis quoque constitutio rarior, utpote ad materiæ discussionem aptior, causa est brevioris paroxysmi; densior longioris. Atque ubi omnes causæ, quæ brevem paroxysmum efficiunt, concurrunt, fit is brevissimus: ubi omnes, quæ longum producant, adsunt, fit longissimus: ubi quædam causæ, quæ brevem paroxysmum efficiunt, adsunt, quædam desunt, fit paroxysmus medio modo sese habens.

*Causa remo-  
tiores febrū  
intermitten-  
tium.*

XXVI. Atque hæc de causæ proximæ, quæ febres intermittentes excitat, natura, loco, & motu dicta sint. Causæ verò remotiores, & quæ ad istius materiæ in venis mesaraicis generationem & putrefactionem faciunt, sunt *cibus & potus non boni*



boni succi, sed humoribus vitiosis suæ naturæ respondentibus materiam præbentes, ventriculi prava dispositio, ob quam cibi bilefcunt, vel acefcunt; Aeris constitutio intemperata.

XXVII. Etsi enim in diversis corporibus diversi humores naturaliter generentur: tamen si magna sit caussarum evidentium vehementia, etiam in diversi temperamenti corporibus eosdem humores & ab iis pendentes morbos ea producere potest.

XXVIII. Differentias febrium intermittentium quod *Differentie* attinet, pendent eæ à diversitate humorum. Tot enim sunt febrium intermittentium species, quod humorum, à quibus producantur. Sunt autem secundum vulgarem sententiam tres illi excrementitii humores, bilis, pituita, melancholia, atque ita tres febrium intermittentium species, biliosa, pituitosa & melancholica, quas differentias tertianam intermittentem, quotidianam intermittentem, quartanam intermittentem nominare solemus.

XXIX. Et quidem si humores illi sinceri sint, febres etiam puras generant; si misti, nothas: Et quæ ex bile sincera fit febris, tertiana pura nominatur; quæ verò à bile flava cum alio humore mixta provenit, tertiana notha dicitur.

XXX. De quotidiana tamen continua res non ita plana est. Fernelius enim hanc omnium esse rarissimam, & quæ vix ex sexcentis una obtingat, febresq; intermittentes, quæ quotidie affligunt, plerumq; potius tertianas duplices esse statuit. Platerus verò hanc febrem planè negat. *An detur quotidiana.*

XXXI. Et omninò cum Galenus, 8. meth. med. cap. 5. duplicem saltem cruditatem constituat, unam nidorofam, alteram acidam: duobus etiam febrium generibus saltem materiam præbere posse videntur, biliosis & melancholicis.

XXXII. Etsi enim pituita quædam datur, quæ κατ' ἐξοχλῶ humor crudus appellatur: tamen cum illa valde frigida sit, vix putrescere & febrem excitare potest.

XXXIII. An verò plures dentur febrium circuitus, & an præter tertianas, quartanas, & si habentur, quotidianas, etiam dentur febres, quæ ultra quintum circuitum extendantur, *An dentur febres quintanae &c.* *bium*

bium est. Galenus equidem eas non vidit. Hippocrates tamen & alii etiam Medici observârunt, dari febres, quæ quinto, sexto, septimo, octavo, nono die demum reversæ sunt.

XXXIV. Quæ autem horum circuituum causa, sit valdè obscurum est. Alii è diversâ bilis & melancholiæ constitutione causam horum circuituum petunt, atque Andreas Cæsalpinus, *art. medic. lib. 2. cap. 15.* quintanas ad bilem, septimanas ad melancholiam refert, statuitq; tales rariores typos species esse simplicium typorum interpolata accessione una aut pluribus, & quintanam esse tertianæ speciem, in qua dies tertia est sine paroxysmo, septimanam esse quartanæ speciem interpolatâ accessione diei quarti.

XXXV. Pleriq; verò horum circuituum rationem ex varia humoris melancholici cum aliis mistura petunt. Verum etsi satis probabile sit, febres has omnes, utpote longiorem periodum habentes, ab humore melancholico provenire: tamen mistura humorum opus esse non videtur; cum nullus humor detur, qui melancholiæ mixtus, tardiori, quàm ipsa, periodica causa sit. Ipsi enim humores & melancholici & biliosi non semper sunt ejusdem generis; & propterea corruptio etiam, quam patiuntur, non semper eadem est; Ut mirum non sit, effectus quoq;, qui ab iis proveniunt, non semper esse eosdem. Et ut in morbis epidemiis interdum raræ & mirandæ humorum corruptiones accidunt: ita in febribus intermittentibus etiam tale quid accidere posse, absurdum non est.

*Signa diagnos-  
tica.*

XXXVI. Febres intermittentes non difficulter cognoscuntur. Febres enim istæ ad ἀποεξέλις perveniunt, statisq; periodis, & quidem, ut Galenus, *1. ad Glaucom. cap. 5. 2. de crisib. cap. 3. & 2. de differ. febr. cap. 3.* docet, cum rigore vel horrore, vel frigore redeunt.

XXXVII. Etsi enim Febres interdum occurrunt, quæ videntur intermittentes, ac cum nullo rigore, horrore, vel frigore invadunt: re vera tamen tales non sunt, sed lentæ & obscuræ continuæ; aut si sunt re vera intermittentes, non puræ illæ sunt, quarum ideam Galenus proposuit, sed nothæ.

*Prognostica.*

XXXVIII. Febres autem hæ minus periculosæ sunt, quàm

con-

continua, & raro, nisi vires vel ætatis ratione vel alia de causa sint dejecta, aut error in diæta committatur, sunt lethales; cum tempore ἀπυρεξίας & vires colligere, & necessaria medicamenta adhibere liceat.

XXXIX. Curationem harum febrium in genere quod at-

Indicationes  
& curatio.

tinet, cum earum causa in venis mesaraicis colligatur & generetur, putredinem concipiat, & hinc in totum corpus diffundatur, tandemq; per insensibilem transpirationem vel sudores discutiatur; causa verò recursus febris sit, ut Galen. 2. de febr. cap. ult. docet, duplex in corpore vitiosa Νάθεισις, una inquinamentum quoddam aut σπυρονοῦδες πύθνωσας ex præcedente paroxysmo relictum, altera membri excrementitios humores generantis debilitas: quid in qualibet intermittente febre agendum sit, facile hinc patet.

XL. Nam cum initium generationis & corruptionis humorum febrem producentium sit in primis viis, danda opera, ut humor vitiosus expurgetur antequam reliquum sanguinem corrumpat, & vitiosam dispositionem ac debilitatem parti inducat.

XLI. Verum cautè in istis evacuationibus procedendum; cum non omnium febrium intermittentium eadem sit ratio. Nam cum ille humor vitiosus & excrementitius febris causa in mesaraicis sanguini immistus sit, etiam cruditas & coctio quædam suo modo necessaria est, quâ humores vitiosi à bonis separentur & ad evacuationem apti reddantur.

XLII. Idq; sæpè brevi tempore in febribus biliosis accidit; & humor biliosus aliàs ad motum satis aptus est. In quartana verò humor contumacior est, & propterea de consilio Galen. 1. ad Glauco. cap. 11. non facile ullum forte medicamentum ab initio exhibendum.

XLIII. Et omninò sudorifera tutò non exhibentur, nisi prius evacuationes præcesserint. Si enim multi vitiosi & excrementitii humores adhuc in primis viis consistent, facile fieri potest, ut sudoriferis intempestivè exhibitis, ii ad alias nobiliores partes detrudantur, & variorum, ac gravium, & qui plus periculi, quàm ipsa febris, afferant, malorum causa fiant.

44. Venæ

XLIV. Venæ sectionem quod attinet, ea equidem à causa februm intermittentium primaria, quæ in venis mesaraicis generatur, & maximam partem hæret, non indicatur: quia tamen interdum sanguis simul abundat, qui facillè corrumpi, & à vitiosis humoribus inquinari, atque à natura à febre debilitata satis regi, si copiosior sit, nō potest; & progressu morbi subinde aliquid peccantis materiæ in venam cavam transit ac sanguini permiscetur: habet quandoq; locum venæ sectio; quæ tamen non mox initiò & ante primarum viarum evacuationem instituenda est.

XLV. Si evacuationibus hisce febris, non tollatur, duo agenda restant, ut scilicet illa dispositio & debilitas partis vitiosos humores generantis, tollatur, quod fit alterantibus, quæ simul humoris vitium emendant; & inquinamentum illud ac *μίασμα* ex humorum putredine relictum discutatur.

XLVI. Et quidem ab inquinamēto illo & paroxysmos pendere, & eo sublato febres cessare, vel ex eo patet, quod, dum à natura id ad ambitum corporis è venis expellitur, & circa labia, nares & alias faciei partes pustulæ excitantur, wann der Mundt oder die Nase außschläget / febris cessat.

XLVII. Tollitur autem præcipuè sudoriferis. Sunt tamen & alia quædam medicamenta, & Medicis & vulgo nota, quæ paroxysmos febriles tollunt, & propterea febrilia, *πυρετικά* etiam, & specifica febrifuga appellantur, quæ tamen non sudores movent, sed alio procul dubio modo illud *μίασμα*, & per consequens paroxysmum, averruncant, qualia vulgo recensentur pulvis è cochlearum testis ustis, ex cancris fluviatilibus & eorum oculis, qui ita dicuntur, præcipuè paratus, & similia.

XLVIII. Quo a. modo hoc præstent, ab autoribus non explicatur, Ut quod mihi videatur, dicam, talia medicamēta præcipatione quâdam vim illam effervescendi & paroxysmum excitandi tollere videntur. Quò & opiata pertinere videntur.

XLIX. Tutò tamen talia non exhibentur, nisi humores vitiosi, & qui causæ antecedentis rationem habere possunt, prius tollantur. Aliàs enim qui à natura in paroxysmo stimulata expelli poterant, ii in corpore relinquuntur, & postea cachexiæ, hydropis, icteri, doloris colici, & aliorum gravium malorum Causa fieri possunt.

L. Applicantur etiam extra quædam medicamenta ad febres intermittentes tollendas, ex telis araneorum, oleo araneorum, & vesicatoriis quibusdam, quæ proculdubio id, quod præstent, *μίασμα* & inquinamentum illud febrile extrahendo & evacuando præstent.

F I N I S.